



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Catalogus Praepositorum Collegiate Ecclesiae S. Castvli in Mospurg ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

secuta quæcunque ad dignitates, Canonicatus, & præbendas ad beneficia vnta huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quo ad affectionem dignitatum, Canonicatum, & præbendarum, ac beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si pro tempore existenti Episcopo *Frisingen*, vel quibus uis aliis communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem, vel prouisionem alicuius minimè teneantur, & ad id compelli, quodque interdici, suspendi, vel excommunicari, vel extra aut ultra certa loca ad judicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibus libertaliis priuilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorū existant, per quā præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat, quomodo libet differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sic in nostris literis mentio specialis; Prouiso, quod propter vniōnem, annexionem, & incorporationem huiusmodi in primo dicta Ecclesia animarum cura nullatenus negligatur, vel alias illa, ac beneficia vnta prædicta debitibus non fraudentur obsequiis, sed primo dictæ Ecclesiæ, & beneficiorum vnitorm huiusmodi congruè supportentur onera confueta. Volumus autem, ut, antequam præmissa sortiantur effectum, Canonicis, & dignitatibus primo dictæ Ecclesiæ obtinentibus, de sufficientibus ad eorum congruam sustentationem redditibus per eundem Guilielmum Ducem prouideri debeat, alioquin præsentes nullius roboris existant. Datum *Rome* apud Sanctum *Marcum*, sub annulo pectoris, die VII. Iulij, M. D. XC V. Pontificatus nostri anno quarto.

M. *Vestrum Barbianus.*

**Catalogus Præpositorum Collegiatæ Ecclesiæ S. Castuli in Moßburg:** quorum nomina in Archiuo *Landshutana* Ecclesiæ sparsim adhuc reperiuntur: reliquorum enim ac maxime primorum memoriam, quam ipsa cum prima Ecclesiæ fundatione, eiusdemque deinceps institutione in Collegiatam, ex quo anno 890. iam Abbatia & Monasterium fuit, pridem interciderunt.

**ELINHARDVS** Præpositus S. *Castuli*, ex libr. histor. B. *Castuli*.

**ALBENO**, An. C. 1171. circiter prefuit. Ex libr. tradit. Ecclesiæ.

**CONRADVS** an. C. 1199. ex eod. libr. tradit. Hic C. si conjicere licet ex una eademque & antiquamanu) interfuit consecrantibus Ottoni *Frisingen*, & Hartvino *Eystetten* episcopis Basilicam S. *Castuli* Moßburg tunc nouam; veteri ex incendio contigua domus Comitis *Conradi*, tota collapsa anno 1212.

Posthunc desiderantur forte vñus & alter.

**HEINRICVS**, An. C. 1278. Ex tab. locationis hoc vnum.

**FRIDERICVS** de *Stauffenberg*, An. C. 1284. Interfuit transactioni feudali inter Principes *Heinricum Bauaria* Ducem, & *Enichonem* Episcopum *Frisingen*. testis. prefuit adhuc anno 1310.

**OTTO** de *Maeckselrain*, Canonicus *Frisingen*. An. C. 1322. Ex donatione D. *Ortvini* Canonici Moßburg. Confirmauit dein statutam Missam cum anniversario à Dominis *Zinsbaid* fundatam an. 1343.

**WERNHER VS**, an. 1347. Binæ tantum locationis literæ de hoc supersunt eiusdem anni.

SEIFRL



SEIFRIDVS de *Fraunberg*, An. C. 1354. ex tab. locationis. Præfuit adhuc anno 1374.

DEGENHARDVS de *Chamer*, an. 1379. extab. item locat. obiit in re-  
ditu propè *Romam* anno circiter 1388.

DEGENHARDVS *Weichser* Baro, Canonicus *Friſingen*, an. 1388. Præfi-  
citur per collationem *Vrbani Papæ VI.* ex speciali reservatione Pontificum.  
Præfuit adhuc anno 1398. electus post in Episcopum *Friſingen*, an. 1410.

CASPARVS *Seiboldsdorfer*, an. C. 1428. ex tab. Notarij pub. Alia instru-  
menta eiusmodi de controvelliis inter hunc & Capitulum compositis osten-  
dunt eum durasse in annum 1438.

IOHANNES *Pienzenaur*. an. C. 1465. Ex instrumento item pub. Notarif.  
Postremæ post accessionem noui Chori *Mosburgæ* translationi S. Martyris inter-  
fuit adhuc an. 1469.

*Maurkircher*. an. 1471. Nomen huius nudum superfuit in morti-  
logio Ecclesiæ, duravit verò in sequentem.

THEODORICVS *Mayr* Præpositus item *Friſing* an. 1486. Extant dona-  
tiones eiusdem, obiit an. 1507.

BERNHARDVS *Arzt*, Canonicus *Friſing*. an. 1513. Huius, vti & sequen-  
tium præsens successio constat ex Reginistris officio Præposituræ propriis. quo-  
rum quadam defunt.

LEO *Lefsch*, S. Th. D. Præpositus in *Isen*. Ex Canonico Episcopus *Friſing*.  
an. 1551. factus, resignauit Præposituram *Mosburg*. an. 1554.

CONRADVS *Hunderjar* Th. D. an. C. 1555. S. *Martini* parochus *Landst-  
buti* resignauit succedenti.

IOANNES à *Via* Th. D. an. C. 1561, parochus item S. *Martini*: post eius  
verò Canonicam depositionem.

MARTINVS *Eisengrein* S. Th. Licent. an. C. 1564. resignauit liberè.

ANTONIVS *Fabritius* Th. D. an. C. 1569. Parochus item ad S. *Martinum*,  
post Decanus *Patauiens*.

SEBAST. *Franz* Th. Licentiatuſ, an. 1582. Decanus *Monacen*. &c. In hoc  
desinunt Prepositi *Mosburgenses*. Erecta verò est *Landishuti* Collegiata Ecclesia  
ad SS. *Martinum* & *Castulum* 27. Aprilis. An. 1596.

**N**icolauſ Episc. Seruus Seruorum Dei. Dilecto viro Nobili viro *Landuvico Du-  
ci Bauariae*, salutem & apostolicam benedictionem. Iustis petentium des-  
ideriis dignum est nos facilem præbere assensum, & vota qua à rationis tramite  
non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecte in Domino  
filicuſ postulationibus grato concurrentes assensu, Ius patronatus & præsen-  
tandi personas idoneas ad singulos Canoniciatus & præbendas Ecclesiæ S. *Castu-  
li* in *Mosburg Friſing*. Diœces. cum vacant, quod antecessores tuos *Bauariae* Duces  
qui fuerunt pro tempore, & te ex speciali apostolicæ sedis priuilegio, cui non  
est in aliquo derogatum canonice proponis adeptos, ac in cuius possessione pa-  
cifica vel quasi te assiseris existere, sicut illud canonice & pacifice possides, tibi  
auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communi-  
mus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirma-  
tionis & communionis infringere, vele iausu temerario contraire. Si quis  
autem hoc attemptare presumperit, indignationem omnipotentis Dei, &  
beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Ro-  
mae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadri-  
gentesimo, quinquagesimo tertio, decimo Kal. Martij, Pontificatus nostri an-  
no septimo,

Corherin